

Annales Societatis Divini Salvatoris

a Superiore Generali eiusdem Societatis
ut manuscripti editi

Vol. I.

Romae, die 1. junii 1948

Num. 3

„Crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoria Jesu Christi!“ II. Petri 3, 18.
„Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos!“ Tit. III. 4; II. 11-12.



Patres et Sorores Societatis Divini Salvatoris
primam centenariam commemorationem diei natalis sui Conditoris
Servi Dei P. FRANCISCI A CRUCE JORDAN grati celebrantes.
1848 die 16. junii 1948

P. Franciscus Maria a Cruce Jordan

Dilectis Filiis

Salutem in Domino et paternam Benedictionem

Centenario XVI. triumphi S. Crucis occurrente, Vobis, dilecti Filii, quos Deus elegit, ut propagaretis regnum Domini Nostri Iesu Christi, haec monita paterna impetrare urgeor.

I. Sanctam vestram vocationem, quae est formare Christum in vobis et in proximis, semper et in omnibus et ubique prae oculis habeatis; quam ut certam faciatis, fidelissima Constitutionum observantia satagite memor res illius S. Alphonsi: « Magis me affligit una transgressio quam centum persecutes ».

II. Vos igitur, Superiores, custodes fratrum vestrorum, vigilate, principiis obstate, imo juxta Apostolum instate opportune, importune: arguite, obsecrate, increpate in omni patientia et doctrina; ita ut cum eodem Apostolo dicere valeatis: « Quia mundus sum a sanguine omnium » (Act. Ap. 20, 26).

Vos autem, Filii omnes, « oboedite Praepositis vestrīs (uti patribus in Christo) et subiacete eis. Ipsi enim per vigilant quasi rationem pro animabus vestrīs reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim expedit vobis » (Hebr. 13, 17).

III. Praeceptum Domini: « ut diligatis invicem », diligentissime observe, ut in hoc cognoscant omnes, quia discipuli Divini Salvatoris estis. Sic eritis imitatores fideles SS. Apostolorum, quorum erat « cor unum et anima una ». Ubi caritas, ibi Deus, ibi Deus, ibi pax! Congregavit nos in unum Christi amor! Nemo absque caritate laborabit strenue cum magno fructu pro animabus, sed erit velut aes sonans et cymbalum tinniens.

IV. Societas ad omnes populos destinata omnibus est debitrix; quare omnes

pari caritate amplectimini, non respici entes neque personas neque nationes, sed id unum intendentes, ut perficiatis opus, quod oboedientia constituerit vobis.

V. Spiritum orationis continuo fovete! — Laudes Divinas tamquam almae Sionis aemuli devote persolvite! Meditationi quotidiana e vacate: in JESU, thesauro vestro, sit primo diluculo cor vestrū, ut illuminemini sanctissimis vitae eius exemplis et accendamini amoris eius igne. Confortetur anima vestra pane vivo ad progredendum de virtute in virtutem. Sitis amici Salvatoris nostri in sancto tabernaculo, cuius conversatio non habet amaritudinem nec taedium convictus eius!

Lectionem spiritualem imprimis de rebus quae ad vitam religiosam spectant, uti animae nutrimentum magni facite, et velim, ut omnes quotidianie saltem per horae quadrantem illi in cumbatis. — In duplici conscientiae examine vosmetipsos judicate, animum re colligite, ad maiorem profectum vos extitare.

Dulcissimum vestrū studium sit ad laborare, ut gloriosissimam Matrem et Reginam nostram beatam dicant omnes generationes, et ut vos ipsi in sanctissimo Rosario quotidie cultum eidem gratissimum et vobis jucundissimum exhibeatis.

VI. Quia humilibus Deus dat gratiam tum in sanctificatione propria proficiendum cum fructu pro animarum salute operandi, humiliations voluntarias ab initio in Societate usitatas libenter exerceatis intuentes Divinum Salvatorem, qui in ultima Coena discipulorum pedes lavit nos exhortans: « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (Jo. 13, 15).

VII. Incrementum Societatis tamquam bonum matris magnopere sit cordi omnibus dilectis Filiis. Ideo optimis exemplis existimationem Societatis ad Dei gloriam promoveatis et sitis bonus odor Christi in omni loco. « Vae homini illi, per quem scandalum venit » (Matth. 18, 7) ! Praeterea singuli ad se pertinere putent omni studio cooperari, praesertim propagatione notitiae Societatis eiusque foliorum promulgatione et eleemosynas petendo seu benefactores quaerendo, ut quam plurimi alumni ad eam admittiri possint et Societas ad maiorem Dei gloriam in dies maius incrementum capiat.

VIII. Missiones quae inter praecipua opera Societatis numerantur, non solum orationibus et sacrificiis adjuvetis, sed etiam subsidia procurando. Quasi vobis dictum habeatis illud Divini Salvatoris

ad discipulos : « Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant » (Jo. 6, 12) ! Nihil parvum videatur, quo regnum Christi adaugeri possit !

IX. Cum hilarem datorem diligit Deus, quae vocationis vestrae sunt magno corde et animo volenti perficiatis, fugientes quod vocant pessimismi vitium, quod ad arma periculosa hostis salutis nostrae pertinet.

Pergite igitur, dilecti Filii, benefacere, et totis viribus operamini pro gloria Dei et salute animarum, quia tempus breve est, **merces autem vestra erit magna nimis** !

Rome, ex Collegio principali SDS
Dominica Passionis 1913

P. FRANCISCUS MARIA A CRUCE JORDAN
Superior Generalis Soc. Div. Salvatoris.

Dilecti in Christo Confratres !

Memorabilis sane nobis est annus 1948 quo **primum expletur saeculum**, nempe die 16. junii, diei natalis Reverendissimi Patris nostri Fundatoris, Servi Dei P. FRANCISCI A CRUCE JORDAN.

Jam praecedenti numero annalium (nr. 2) omnes confratres attentos reddere volui in hunc diem laetum et tam magni momenti, insimulque omnes Superiores maiores rogavi, ut hanc centenariam commemorationem et digne praepararent et solemniter peragerent.

Plures Superiores Provinciales, e. gr. e provinciis Brasiliana et Americana, relationes ad Generalatum jam miserunt, exponentes sc. quae in praeparanda hac centenaria commemoratione in ipsorum provinciis jam fecerunt.

R. P. Baptista Berg novum libellum de vita deque virtutibus V. P. N. conscripsit, qui Monachii typis imprimitur. Adm. R. P. Bonaventura Schweizer scriptum parvum de V. P. N. praeparat,

quod vendetur in ecclesiis in locis quos dicunt «Schriftenstand». Has litteras dum scribo, praesentatur nova biographia egregie conscripta in lingua italica a Rev. Domino Emidio Federici, quam praecedenti numero annualium jam annuntiavera.

In ipso die festo Excellentissimus Praesul Charrière, episcopus Friburgensis dioecesis, in ecclesia paroeciali Tafers, ubi V. P. N. sepultus est, missam pontificalem celebrabit, cui interesse membris pro-provinciae Helveticae consolationi erit et gaudio.

Ad me quod attinet, postquam magnum meum iter transmarinum feliciter confeci, tandem aliquando in Helvetiam adveni et locum Tafers adii. In cubiculo illo, in quo V. P. N. sanctissime obiit, et ad eius sepulcrum in ecclesia paroeciali Tafers enixe oravi tam pro omnibus confratribus quam pro universa Societate.

Maximi vero momenti est, confratres in Christo Salvatore dilecti, spiritum

V. P. N. reviviscere in filiis filiabusque eius spiritualibus in celebranda hac centenaria commemoratione. Utinam talis spiritus reviviscat etiam nova èditione revisa Constitutionum, Manualis Pietatis aliorumque operum, quae praeparantur mandato ultimi Capituli Generalis !

Constitutiones revisae S. C. de Religiosis jam propositae sunt dijudicandae et confirmandae.

Attamen, dilecti confratres, omnia haec scripta et monita in eis exposita parum proderunt, nisi unusquisque sedulo studuerit hunc spiritum V. P. N. et intellectu conspicere et opere completere. Mundus magnis motibus hodie atrociter concutitur ita ut plurimi acerbissima quaeque pati debeant. Nec desunt, quod valde doleo, qui animo deficere velint et dispensationem a sanctis votis desiderant. His et omnibus confratribus dico : **Vota nostra DEO vovimus!** « Vota mea Domino reddam » (Ps. 115, 5) ! Deus gratia sua unumquemque adjuvat, qui Ipsi fideliter deservire studuerit, ut in adjunctis etiam difficillimis vota sua reddere possit. « Vir oboediens loquetur victorias » (Prov. 21, 28) !

Venerabilis Pater Noster imperturbabilem fiduciam in divinam Providentiam

habuit. Absolutam item habuit fidem in missionem, quam Deus ipsi et Societati suae concredere voluit. Nemo nostrum est qui nesciat, quantum ipse pro hac sua missione pati debuerit, extremam nempe paupertatem, persecutiones, calumnias, nec defuerunt, qui interitum Societatis ipsi praedicerent, neque defuerunt, quod valde dolemus, apostatae.

Attamen ipse perseveravit ! Perseveravit, inquam, sacrificando suam sanitatem, et **victor** tandem evasit. Ideo scriptor ille Americanus Haggene y librum suum de vita V. P. N. optime inscripsit : **Victory.**

Omnes igitur sodales Societatis nostre hac die memorabili 16. junii 1948 vota sua privatim renovent !

Instanter cotidie oremus, ut causa beatificationis V. P. N. feliciter progrediatur et ipse in catalogum Beatorum Sanctae Matris Ecclesiae citius inseratur ! Inter fideles etiam magnam fiduciam in hunc servum Dei excitemus ! Adm. R. P. Dorotheus Brugger, Postulator in causa beatificationis, adhuc in America commoratur, ut ibi ultimos processus informativos perficiat. Speramus Sanctam Matrem Ecclesiam omnibus actibus S. C. R. rite propositis judicium decisivum nobisque jucundum mox esse facturam.

De itinere meo in Missionem nostram Sinensem

Visitationem canonicam Societatis incepturnus primum iter ad illos confratres instituendum esse duxi qui maxime distant ab Europa, nempe ad missionem nostram Sinensem dedicatam Divino Salvatori. Die 23. octobris 1947 Urbem aeternam reliqui comitatus a cooperatoribus meis Romanis. Permissiones quas visa dicunt, ingrediendi sc. et pertransiendi diversas civitates, cum essent limitatae ideoque nihil temporis mihi pendendum esset, totum iter velivolo con-

feci. In ipso itinere has potissimum urbes attigimus : Istanbul, Carakki, Calcutta, Shanghai. In urbe Shanghai jam advenimus die 29. octobris, quamquam in itinere non semel longiores stationes habuimus. R. P. Petrus Hüntemann in aeroporto Shanghai me jam diu in Sina expectatum cum magno gaudio exceptit. Deinde iter meum continuavi, et quidem per duos dies via ferrata usque ad Hangchow-Shangliau, reliquam vero viam autocurru Sinensi cum feliciter confecisset,

tandem aliquando in missionem nostram Shaowu adveni.

Ad judicium objectivum de statu missionis nostraræ melius mihi formandum valde mihi interfuit, statim cum terram Sinensem intravi, et alias missiones accuratius cognoscere. Qua de causa adivi Shanghai magnam illam et celebrem missionem Societatis Jesu, quae vocatur Cikawé; deinde Hanchow missionem Patrum Congregationis Missionis (Lazaristæ) duasque stationes, quae sacerdotibus indigenis concreditaæ sunt. Item attente inspexi missiones, quae ab Americanis et Hibernis administrantur. Ubique in Sina a missionariis summo studio laboratur et revera opera magna fiunt. Certum est ac perspicuum: nos minime habemus monopolium neque ullo modo hoc intendimus. Nihilominus omnibus confratribus hos annales lecturis certo dicere possum: labores nostri et id quod in concreto consecuti sumus, ab aliis etiam conspici possunt, saltem ad extra. Missio nostra valde commendatur ordine suo et munditie, in primis quantum ad ecclesias

sacrosque ritus. « Faciem habemus! » uti Sinenses dicere solent.

Magna laetitia affectus in missionem nostram Shaowu Divino Salvatori dicatam intravi. Rev. m. Praefectum Apostolicum, Mons. Inigo König, necnon Patres Vitum Schöllhorn et Cletum Lohmann primum salutavi extra territorium nostraræ missionis, nempe in Nancheng. Chimæ, quae statio nostraræ missionis prima fuit quam vidi quaque maxime distat a centro missionis versus septentrionem, R. P. Wendelinus Kripes cum suis fidelibus in via me exspectavit. Kwangtseh nos exspectavit Adm. R. P. Matthæus Laser, Superior religiosus missionis, cum suis cooperatoribus; praeterea ibi me salutavit R. P. Brunolfus Seifried cum multis christianis et paganis.

Adventum ineum felicem in missionem nostram Sinensem confratres celebrare voluerunt solemni caerimonia in ecclesia. Deinde e Kwangtseh perrexi in stationem principalem Shaowu, unde postea caeteras stationes adivi.

Brevis Conspectus de historia deque statu nostræ missionis

I. Conspectus historicus

Notum omnibus est nos Salvatorianos novam missionem in Sina suscepisse, postquam missionem illam in India (Assam), ubi primi nostri Patres maximis sacrificiis saluti animarum tam heroicè se dedicaverant, exitu primi magni belli definitive amisimus. Tunc Adm. R. P. Christophorus Becker, qui illo tempore munus Praefecti Apostolici gesit, Romam vocatus est, ut hic cum Reverendissimo P. Generali et cum S. C. de Propaganda Fide de nova missione suscipienda ageret. Hisce annis R. P. Christophorus Becker Heribpoli (Würzburg) fundamenta jecit magni illius instituti, in

quo medici pro missionibus conformantur (Missionsärztliches Institut), ita ut R. P. Christophorus optime meritus sit de missionibus catholicis.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide missionem nostram in Assam amissam nobis compensavit parte territorii illius missionis, quam Patres Hispanici ex Ordine Praedicatorum in Fukien administrant. Certo et ipsa regio et incolae hucusque nobis erant plane ignoti. Attamen tunc suscipientes hanc missionem putavimus et territorium ipsum et numerum incolarum maiores esse, uti postea de facto experti sumus. Comparantes nempe territorium nostrum Sinense cum vetero



Omnes Missionarii post conferentias annuas peractas.

nostra missione Assamensi dicendum est territorium novum parvum quidem esse, initio tamen et usque adhuc viribus nostris satis adaptum.

(Missio nostra in Fukien habet fere 300 000 incolarum.)

Hisce brevem conspectum chronologicum dare velim.

IX. 1921 : Unanimis consensus IV. Capituli Generalis suscipiendi in Sina aliquam missionem.

28. XI. 1921 : S. C. de Prop. Fide missionem Shaowu administrandam nobis concredit.

10. II. 1922 : S. C. de Prop. Fide desiderat, ut prius tres tantum Patres in Sinam proficiscantur ad penitus cognoscendam linguam et conditiones vitae auctore Vicario Apostolico Foochowensi.

Necessaria facultate Apostolica rite instructi hi tres Patres primi proficiscuntur : P. Heribertus Winkler, P. Dominicus Daunderer et P. Salesius Spirig.

Eodem tempore Procuratores missionis electi sunt, et quidem pro collegiis in Europa sitis P. Anselmus Schauff, pro America P. Rudolfus Fontaine.

16. XII. 1922 : Tres primi nostri missionarii in Shaowu adveniunt.

20. V. 1923 : Tres alii Patres in Sinam proficiscuntur : P. Eduardus Schweinberger, P. Colomanus Bühler et P. Melchior Geser.

1924 : Primae quinque Sorores Divini Salvatoris in missionem nostram Sinensem contendunt.

1924 : Status personarum pro missione disponitur: Shaowu 2 Patres et 3 Soro-

res ; Kwangtseh 2 Patres et 3 Sorores ; Kienning 2 Patres.

5. VIII. 1926 : Rev.mus P. Pancratius Pfeiffer, Superior Generalis, ad primam Visitationem canonicam instituendam in Sinam proficiscitur.

2. X. 1926 : Rev.mus P. Generalis cum nostris missionariis Jenping congregatur. Fr. coadj. Rigobertus Bartsch adhuc in itinere prima victima missionis cholera morbo moritur. Rev. Patres Matthaeus Laser et Ethelbertus Mai, Fratres coadj. Angelus Matt et Hermannus Joseph Krause, necnon tres Sorores Rev.mo P. Generali Jenping occurunt.

1927 : Civiles perturbationes (Revolution) totam Sinam exagitant ; magnum odium in exterios excitatur.

5. VI. 1928 : R. P. Colomanus Bühler novam stationem Hoping constituit (ad St. Bonifatium).

1928 : Visitatio canonica a Vicario Apostolico O. P. ex Foochow instituitur.

9. VII. 1929 : S. C. de Prop. Fide rogit, ut ipsi Superior ecclesiasticus pro missione nostra praesentetur. Territorium Shaowu, Kwangtseh, Taining, Kienning missio independens declaratur.

13. I. 1930 : Adm. R. P. Heribertus Winkler Superior ecclesiasticus missionis independentis Shaowuensis a Propaganda Fide nominatur.

8. III. 1930 : Solemnis ingressus Adm. R. P. Heriberti Winkler in missionem Shaowu, quae centrum et sedes principalis missionis evadit.

23. XI. 1930 : Mors R. P. Salesii Spiring, qui se totum pro missione obtulerat.

1. I. 1931 : Novae perturbationes a Communistis excitantur, in primis in provincia vicina Kiangsi.

R. P. Colomanus Bühler fugam petere debet.

VI. 1931 : R. P. Melchior Geser a Communistis trucidatur.

8. VI. 1931 : Omnes, qui missione nostra adscripti sunt, ex Shaowu fugere

debent ; Patres, Fratres coadjutores, orphani, imo et Sorores in ipsa fuga comprehensi crudelitates sustinere debent.

XII. 1931 : R. P. Colomanus Bühler a latronibus comprehenditur.

1932 : Propter incertas conditiones vitae in missione, quae perdurant, missionarii coguntur missionem ad tempus derelinquere ; puellae indigenae vitae religiosae se dare desiderant ; Patres intendunt aperire Seminarium pro pueris, qui sacerdotium aspirant.

1933 : Exsilium extra territorium nostrae missionis per fere tres annos perdurat. Procura missionis Foochow aperitur.

1934 : Omnes missionarii eorumque cooperatores in missionem redeunt.

25. II. 1935 : Adm. R. P. Heribertus Winkler, qui munus Superioris ecclesiastici missionis usque nunc gesserat, sanitatis causa demissionem suam S. C. de Prop. Fide praesentat.

9. VII. 1936 : Adm. R. P. Inigo König, Superior religiosus missionis, a S. C. de Prop. Fide etiam Superior ecclesiasticus missionis renuntiatur.

1936 : Ecclesia votiva in honorem BMV de Fatima in Shaowu constructa R. P. Ludovicus Maria Grignon Heitfeld fundamenta jecit actionis catholicae.

8. XII. 1936 : Adm. R. P. Inigo König Congregationem Sororum indigenarum instituit, quae vocantur »Kleine Schwestern vom göttlichen Heiland«, i. e. parvae Sorores Divini Salvatoris.

1937 : Bellum immane inter Sinenses et Japonicos exardescit, quod etiam nostrae missione causa fuit immensi damni. Procura nostra in Foochow-Mamoi telis igniferis (bombis) funditus destruitur.

8. IX. 1937 : Aperitur Seminarium minus, cui septem pueri inscribuntur. Novae graves perturbationes in Fukien oriuntur.

26. X. 1937 : R. P. Ademarus Rösch moritur ex malaria cerebrali.



*Statio Shaowu
ante 12 annos*

21. V. 1938 : Missio nostra Shaowuen-sis in dignitatem Praefecturae Apostoli-cae evehitur.

Adm. R. P. I n i g o K ö n i g primus Praefectus Apostolicus renuntiatur.

XII. 1940 : Duo Patres, nempe R. P. A n s e l m u s Przyrembl et R. P. B e a-t u s Schneble, Peking proficiscuntur ad addiscendam linguam Sinensem.

I. 1941 : Alii tres Patres via Russia in Sinam profecti incolumes in missionem adveniunt secum portantes, quaecumque magna industria et benevolentia benefac-torum promissione paraverant.

30. IV. 1942 : Bello Europeo atro-cius semper in dies exardescente omnes missionarii in ipso oppido Shaowu con-tinentur (interniert).

18. V. 1943 : R. P. Eduardus Schweinberger ex phthisi pulmonali Foo-chow moritur.

15. X. 1944 : Novum edictum conti-nendi omnes missionarios ab auctor-i-tate civili editur.

17. XII. 1944 : Omnes Patres, Fratres coadjutores et Sorores detenti in missio-nem Shanghang ad missionarios ex Or-dine Praedicatorum deportantur.

5. I. 1946 : Omnes nostri missionarii ingenti gaudio populi ex concentramento quod dicunt, in missionem nostram Shaowu redeunt. Novum Seminarium Shaowuense et primus novitiatus eriguntur.

10. VIII. 1946 : Adm. R. P. Mat-thaeus Laser, Superior religiosus missionis renuntiatur.

11. X. 1946 : Festum Matris Salvato-ris : Primi nostri candidati clerici Sinen-ses habitu Societatis induiti novitiatum incipiunt : Fr. Franciscus Wang Ping-i et Fr. Bonaventura Chow Shan-mow.

II. Relatio de singulis Stationibus.

1. Shaowu.

Statio principalis missionis nostrae in honorem et sub titulo Divini Salva-tori s erecta in urbe Shaowu est (pro-vincia Fukien), ubi Praefectus Apostoli-cus residet. Shaowu est urbs 30-40.000 incolarum. Duxi 30-40.000. Quicumque enim saltem paululum expertus est con-ditiones vitae in Sina, optime scit nume-rum exactum incolarum alicuius urbis, provinciae, civitatis numquam absolute determinari posse uti in Europa, sed omnia plus minusve taxatione approxima-tiva nit, siquidem cives Sinenses mul-tum « fluctuant », i. e. sine tectis ac sedibus passim vagi sunt ideoque publici elenchi incolarum minime habentur.

Aedificia missionis in ipsa urbe Shaowu e saxis solide constructa a Rev. Pa-tribus O. P. olim suscepimus. In urbe Shaowu resident Rev.mus Praefectus Apostolicus et Procurator missionis. Hac



Missionarii, Sorores et Christiani de Shaowu post Missam Solemnem

in sede principali missionis plura cubacula habentur pro missionariis, qui salutationis causa vel alio motivo extraordinario, v. gr. ad annua exercitia vel consultationes communes peragendas, Shaowu convenientiunt. Praeter aedificium principale habentur etiam domus Sororum, orphanotrophium, asylus pro senibus et nosocomium. Haec aedificia nostrae missionis opportuno loco sita sunt, nempe prope moenia urbis et haud procul ab ipso flumine Min.

**Stationi principali hi Patres
et Fratres coadj. adscripti sunt :**

Msgr. Maximilianus (P. Inigo SDS)
König, Praef. Apostolicus.

R. P. Arthurus Ogger, Procurator missionis et 2. Cons. rel.

R. P. Cletus Lohmann, Rector ecclesiae et scholae.

R. P. Anselmus Przyrembl.

R. P. Beatus Schneble.

R. P. Edbertus Niedermair, p. t. sanitatis causa in Helvetia.

V. Fr. Hermannus Joseph Krause, architectus.

V. Fr. Anastasius Pohl, lignarius et organista.

R. P. Arthurus Ogger praeter alios labores etiam stationem secundariam Nakow bene administrat.

Fratres coadjutores Hermannus Joseph Krause et Anastasius Pohl artes fabriles suas exercentes optime meriti sunt de aedificiis missionis construendis et perficiendis. Fr. coadj. Hermannus Jos. Krause, unus e primis Fratribus coadj. in missionem missis, magna habet merita de ecclesia principali Shaowuensi exaedificanda. Fr. coadj. Anastasius Pohl utpote lignarius et organista missionem valde adjuvat.

Pharmacopola (Apotheke) ab indigenis cotidie frequentatur, ita ut Patres et Sorores operibus misericordiae corporalis viam sibi parent ad exercenda opera misericordiae spiritualis.

Aedificium Seminarii minoris prius ut nosocomium intentum amplificatum est. Sorores rogaverunt nos, ut hoc aedificium ipsis ad interim committeretur, donec domum propriam aedificaverint. Huic voluntati libentissime satisfecimus,



Ecclesia in honorem B.M.V. de Fatima in Shaowu

quia nosocomium intentum non ita urgenter perfici debere nobis visum est.

Cooperatores laici victimum et domicilium in ipsa missione recipiunt. Territorium missioni adjacens satis amplum est ad aedificanda adhuc alia aedificia, si ea necessaria visa fuerint.

Sacrosanctum missae sacrificium, imo quaecumque ad cultum divinum pertinent, a christianis diligentissime frequentantur. Sacrae caeremoniae totaque liturgia summa diligentia absolutae in animis fidelium pios sensus excitant.

Conspectus schematicus de incremento nostrae missionis.

Priusquam ad alias stationes transeam, brevem conspectum schematicum de evolutione nostrae missionis Sinensis primis 25 annis elapsis praesentare velim. In numeris dijudicandis schemate sequenti propositis bene sciendum est nostros

missionarios per totum magnum bellum secundum a patria totaliter fuisse interclusos nullosque novos missionarios neque ulla Sorores inde ab anno 1940 in missionem advenisse. Hisce igitur in annis id unice agebatur, ut missionarii unitis viribus conservarent quaecumque maximis sacrificiis annis praeteritis ad felicem effectum jam perducta erant.

Anno :	1922	1927	1937	1947
Patres	3	8	11	17
Fratres coadj.	—	2	3	2
Fratres cler. Novitii	—	—	—	2
universim	3	10	14	21

2. Shaowu-Fatima.

Shaowu-Fatima, quod fere 15 minutis a statione principali distat, est ecclesia paroecialis, et quidem maior quam ecclesia stationis principalis. Rector huius stationis et parochus est R. P. Ludovicus

*Ecclesia in honorem B. M. V. de
Fatima (pars interior)*



vicus Heitfeld, qui jam ex multis annis summo zelo curae animarum hic incubit. Haec ecclesia sat speciosa anno 1938 exstructa est voti solvendi causa, quod primus Superior missionis, Adm. R. P. Heribertus Winkler, in fuga cum pluribus Patribus, Sororibus et orphanis voverat, cum in flumine Min magno in periculo vitae essent constituti. Sumpitus haud exiguus huius ecclesiae a consule gallico, M. Ferdinando Roy, magna ex parte liberaliter soluti sunt.

Imago luce impressa (photographia), quam hic confratribus monstramus, clare ostendit ecclesiam nostram in honorem BMV de Fatima exstructam spatiösam esse cultuque magnifico esse ornatam. Sita est prope unam portam urbis ad viam principalem. Domus paroecialis est


vetus domus Sinensis, quae tamen apte renovabitur.

Coadjutor impigerrimus est R. P. Colomanus Bübler, athleta vere fortis inter nostros missionarios.

Ad stationem principalem Shaowu, at-tamen extra territorium ipsius missionis, pertinet etiam asylus pro senibus in urbe, qui tamen a laicis indigenis administratur.

3. Shaowu, Seminarium Divini Salvatoris; Novitiatus.

Collegium hoc pro nostra missione tam magni momenti valde amoenam et discretam positionem habet, sicut addita imagine luce impressa demonstratur, ut fini suo sublimi bene correspondere possit. Seminarium fere ad semi-horam a



Domus Novitiatus in Shaowu prope Portam Occidentalem

statione principali distat olimque sicut sedes privata (Villa) alicuius ducis exercitus. Gratum valde et acceptum nobis est collegium hoc pulcherrimum hortum habere et situm esse prope transitum fluminis Min, id quod in Sina sub aspetto itineris faciendi maximi momenti est.

R. P. Petrus Hüntemann Rector scholasticorum est; R. P. Willibaldus Heidbüchel Pater Spiritualis, qui tamen ad tempus sanitatis causa in Helvetia commoratur. Duo scholastici indigeni, Fr. Franciscus Wang Ping-i et Fr. Bonaventura Chow Shan-mow, spem jucundam nostrae Societatis in Sina praestare videntur.

Etiam candidati clerici in Seminario minori valde me delectaverunt. Oramus et speramus futurum esse, ut Societas nostra posito hoc solido, licet modesto

fundamento cleri indigeni religiosi crescat etiam in Sina et merito et numero!

Ratio personarum in Seminario:

Patres	2
Fratres scholastici	2
Seminaristae Semin. min.	8
Candidati conversi	2
	14

4. Kwangtseh

Magna haec statio in regione montuosa optime sita fere eundem pulcherrimum aspectum prae se fert ac statio principalis Shaowu. Ecclesia nostra Kwangtsehensis est maxima ecclesia nostrae missionis sexque habet tabulas pulcherrime pictas e celebri schola Pekinensi pictorum Sinensium. Quae ecclesia S. Joseph dedicata est ac turri sua



Rmus Monsignore, P. Petrus, duo Scholastici, 7 Seminaristae, duo operarii, quorum unus nunc est in novitatu

ingenti stylo romano exstructa totam urbem totamque illam regionem superat. Dispositio aedificiorum similis est illi Shaowensi: domus paroecialis, domus Sororum, orphanotrophium, pharmacopola.

In statione Kwangtsehensi residet Superior religiosus missionis, Adm. R. P. Matthaeus Laser, qui etiam vices gerit Rev.mi Praefecti Apostolici. Cooperatores eius fideles et impigerimi sunt R. P. Brunolfus Seifried et R. P. Wendelinus Krippes. Hic in schola superiori ad tempus docuit linguam anglicam artesque mathematicas, et ita docendo discipulis etiam spiritualiter maxime profuit.

Ad Stationem Kwangtseh pertinet etiam statio Chima, quae in extrema parte nostri territorii septentrionem versus sita est quaeque propter talem situm non sine periculo adiri et administrari

potest (latrones, ferae pessimae). R. P. Wendelinus Krippes curae animarum ibi incumbit et gaudet domo polita et valde utili, nempe ecclesia et domicilio in uno aedificio conjunctis.

5. Hoping

Hoping est statio valde amoena, quae situ suo totam urbem et regionem superat. Ecclesia S. Bonifatio dedicata cum domo paroeciali conjuncta est simili modo ac ecclesia Chimaensis. Porro in statione Hopingensi jam anno 1928 condita domus Sororum habetur, cui adnexus est asylus pro senibus.

R. P. Edmundus Goldmann, Rector huius stationis, in schola publica scientias docet; in administranda paroecia nimis extensa opera optima et fideliter R. P. Raphaelis Reuter semper utitur, qui ut ad stationes secundarias perveniat earumque indigentibus spiritualibus

provideat, laboriosissimas vias per montes easque haud raro per plures horas facere debet.

6. Chukow

Chukow ecclesiam sat spatiosam habet. R. P. Arnoldus Renz, qui hanc stationem maximis suis sacrificiis ac zelo prudenti administrat quique usque nunc in modesta domo ecclesiae adnexa (Sacristia) in extrema paupertate solus cum suis Sinensibus habitavit, tandem aliquando qua est virtute ac industria, domum paroecialem aedificare potuit.

7. Taining

Ecclesia Tainingensis propter processum, qui nimis perdurat (agitur enim de

ipso territorio, in quo ecclesia aedificari debet) perfici non potuit. R. P. Beatus Schneble, qui curae animarum magno zelo ibi incumbit, sperat se exstinctionem ecclesiae ad felicem exitum adducere posse.

8. Kienning

R. P. Melchior Geser immortalis memoriae per plures annos tam prospere hic operatus labores suos apostolicos proprio sanguine sigillavit. Kienning est extrema statio nostrae missionis versus Orientem. Jam ex multis annis felici successu ibi operatur R. P. Vitus Schöllhorn maximis superatis difficultatibus.

Stationes secundariae

In missione nostra Fukiensi (Salvator Mission) enumerantur 11 stationes principales et 84 stationes secundariae. In stationibus principalibus residet saltem unus sacerdos et cotidie celebratur missae sacrificium.

Stationes secundariae eae vocantur, in quibus non semper residet missionarius, sed quo non pervenit nisi determinatis spatiis. Tunc missae sacrificium celebra-

tur aut in parvula ecclesia aut in domo alicuius christiani.

Bene affirmare possum territorium missionis in Sina nobis concreditum stationibus secundariis inclusis omni ex parte bene administrari et saluti animarum in toto hoc territorio a nostris missionariis, per quantum fieri potest, bene provideri.

Problemata

seu quaestiones, quae missionem nostram actu urgent

Multum temporis, quamdiu in Sina fui, in sede principali Shaowensi commoratus sum, ut singuli missionarii me adire sensusque suos libere aperire potuerint. Omnes confratres utpote totaliter seclusi a patria fere toto tempore belli colloquiis nostris familiaribus in recreatione habitis sese refecerunt etiam quoad animum, itaque vincula cum patria remota de novo arctius colligata sunt.

Deinde e sede principali Shaowu plu-

res stationes secundarias adivi, ut tali modo missionariis obviam occurrendo melius ipse cognoscerem regionem et incolas, officia et difficultates confratrum, et ipse mihi praepararem argumenta ad instituendas postea consultationes cum Superioribus missionis et cum ipsis missionariis.

Denique Shaowu reversus communes consultationes instituimus de his quae sequuntur quaestionibus.

1. De Statuto missionis

Statutum missionis, quod nempe tam jura et officia Superiorum missionis et missionariorum quam administrationem bonorum temporalium missionis componit, usque nunc non habuimus. Tale statutum a Generalatu interim jam exaratum est sequendo potissimum Constitutiones nostras revisas et statuta aliorum Ordinum, qui missionibus inter paganos quasi exclusive se dedicant. Statutum tali modo compositum duobus Superioribus nostrae missionis Sinensis, Mons. Inigo König et Adm. R. P. Matthaeo Lasser, ad experimentum jam transmissum est.

2. De dilatando territorio

Territorium nostrae missionis Fukien-sis comparatum ad alia territoria missio-num de facto parum magnum est, ut evehi possit ad dignitatem Vicaria-tus Apostolici. Magno in desi-derio missionariorum est, ut aditum li-berum acquirant ad vias principales, quae sc. ducant ad Foochow et Shanghai (in montibus sumus !) Rev.mus Archi-episcopus Foochowensis, Mons. La-brrador O. P., qui valde exoptat, ut territorium nostrae Praefecturae Aposto-licae amplificetur, de hac re jam ad S. C. de Prop. Fide Romam scripsit. Quae cum ita sint, quaestione de territorio nostrae missionis dilatando simul movetur quaes-tio de designando E p i s c o p o , cum sc. Praefectura nostra Apostolica eve-hatur ad Vicariatum Apostolicum.

De hac quaestione tam magni momen-ti sola S. C. de Propaganda Fide decer-nit. Nostrum solummodo est praesen-tandi eidem Sacrae Congregationi tres candidatos, quos maxime idoneos judi-camus, qui eligantur ad talem dignitatem. Omnes igitur confratres instanter rogare velim, ut hanc quaestionem, quae pro nostra Societate magni momenti esse vi-detur, in orationibus suis Deo commen-dent !

3. De redditibus missionis

Ad redditus missionis quod attinet, res ad interim quasi in tuto collocatae esse videntur pecuniis collectis a Procura missionis in Elkton et actione CORBIN-Society quam dicunt, quae sc. laborat nomine et sub custodia nostri Procurato-ris missionis in Statibus Unitis, Adm. R. P. John Schlinkmann. Vere a Divina Providentia ducti haec subsidia tempore praeterito comparavimus. Secus nostri missionarii tempore belli a patria tota-liter seclusi sine subsidiis fuissent ideo-que haud scio an nostra Societas ipsam missionem non amisisset.

Hoc in loco et in hisce adjunctis di-serte dicere velim collegium nostrum Elk-tonense ad id ipsum fundatum esse, ut missiones a Societate susceptas adjuva-ret. Interim certo, quoniam nunc u na m tantum missionem administramus, omnes redditus nostrae Procurae missionis in Elk-ton erogantur pro nostra missione Si-nensi.

Valde mihi cordi est intimas gratias agendi Rectori missionis Procurae cius-que cooperatoribus, qui hucusque tam egregie pro missione nostra Sinensi la-boraverunt.

4. De ipsis missionariis

O m n e s confratres diligentissime in vinea Domini laboraverunt ideoque ma-gna ex parte defatigati vacationes in ipsa patria bene promeruerunt, imo huius-modi vacationes necessariae essent. R. P. Willibaldus Heidbüchel et R. P. Edbertus Niedermaier, qui, quod valde doleo, aegrotare coeperunt, pro tempore in Helvetia commorantur ad recuperandam sanitatem.

Cum vero ad interim nimis difficile sit obtinere litteras liberi commeatus (pass-port) et insuper adhuc quasi difficilius alium sacerdotem substituendi, qui vices gerat missionarii longius absentis, iter in Europam missionariis vere impossibile evadit. Accedit quod ipsa patria pro



Kwangtseh : Paroecia
Rev. P. Superioris

temporis adjunctis recreationem necessariam missionarii offerre non potest. Quibus de causis missionarii nostri aequo magnoque animo renuntiaverunt proficisci in Europam ibique in Sina sese reficere student.

Spero me promissi fidem praestare posse emmittendi in missionem singulis annis quattuor novos missionarios.

Verbis et scriptis sodales in itinere adhortatus, quanti momenti sit juvandi missionarios, plures confratres declaraverunt se paratos esse proficisci in missionem. Adhuc hoc anno 1948 hi quatuor Patres in missionem nostram proficiscentur : R. P. Leonardus Gerke e provincia Britannica ; R. P. Trudo Plessers e provincia Belgica ; R. P. Dominicus Pleczka e provincia Polonica ; R. P. Ludovicus Ummenhofer e provincia Germaniae Meridionalis, qui jam ante bellum ad missionem destinatus unice ipso bello impeditus est.

Me Romam via America jam reversum comitati sunt Rev.mus Praefectus Apostolicus et R. P. Beatus Schneble, qui in urbe Shanghai medicum adire debuit et in via de Foochow ad Shanghai optimus interpres et monstrator mihi fuit. Rev.mus P. Inigo me comitatus est tantum usque ad Foochow. De Shaowu in Foochow iter fuit duarum dierum in

curru automobili et unius diei in navicula automataria. In Seminario Foochowensi, quod a Patribus O. P. e provincia Germanica administratur, vera amicitia hospitio excepti sumus. Cum Rev.mo Archiepiscopo collocutus sum de quaestionibus supra expositis. Valde gavitus sum, quod Rev.mus Archiepiscopus labores Patrum nostrorum et laudavit et comprobavit.

Magno dolori mihi fuit Procuram nostram Foochowensem, quod annis praeteritis tam amplum aedificium fuit, ruinis collapsam esse ; bello enim atrocis semper perdurante et procedente devastata est non jam telis ignivomis (i. e. bombis), sed a militibus usque ad fundamenta perusta est. In urbe Shanghai partes nostras suscepserunt Reverendi Patres e Societate Verbi Divini, auctore R. P. Schulz SVD, in urbe Foochow R. P. Rector Albers O. P. His duobus Reverendis Patribus intimas gratias agere debemus, quod tam libenter auxilio nobis venerunt et se tam magnanimos praebuerunt. Item maximas gratias agere debemus Rev.mo episcopo Nanchengensi, Mons. Cleary, qui inquis illis temporibus, quibus missionarii nostri utpote nationis Germanicae oppido contenti erant (interniert), proprios sacerdotes in missionem nostram misit itaque adjuvit, ut missio Societati nostrarae conservaretur.

*Hoping: Statio
R. P. Edmundi*



Profecto, confratres carissimi, gaudio et consolatione nos impleri oportet, quod confirmare possum inter missionarios nihil prorsus referri ad differentias nationales, sed omnes a magnis principiis catholicis ductos vere fraterna caritate mutuo sese adjuvare studere. Iisdem principiis universalitatis veraeque catholicitatis, quibus V. P. N. semper ductus erat, etiam filii eius spirituales ducantur !

Missio nostra Sinensis nostrique missionarii omnibus provinciis maxime cordi esse debent ! Hoc in loco laude speciali digna praedicanda est provincia Americana, quae missiones inter Indians (Grand Ronde, Oregon ; Jordan, R. R. Scio, Oregon) et inter Nigritas (Phenix City, Alabama) propriis pecuniis condidit conditasque sustinet et exaedificat.

Omnia, quae hucusque multis verbis exposui, paucis comprehendere volens confratres omnes denuo enixe rogo,

ut studium missionis in omnibus provinciis, praesertim inter scholasticos, diligenter promoteatur ;

ut in omnibus provinciis, ad normas Constitutionum, Generalatui, Procuratores missionis proponantur ; ut in omnibus collegiis cotidie pro missione preces fiant ;

ut epistolarum commercium sit inter sodales in Europa et missionarios.

Hisce in annalibus etiam Rev.mae Matri Generali, M. M. Olympiae Heuel, singulares gratias agere velim pro omnibus, quae Sorores Divini Salvatoris in missione nostra Sinensi jam feliciter perfecerunt atque sperant se adhuc facere posse.

Res, quas missionarii nostri hucusque perficere potuerunt, licet non sint extraordinariae quantum ad numerum, historia tamen missionis Shaowuensis dignae sunt semperque incrementa capiunt, id quod vel eo maioris momenti est, si difficultates attendimus, quas missionarii annis praeteritis superare debuerunt (incursiones Communistarum et latronum ; bellum Sinense-Japonicum ; secundum magnum bellum, quod totum mundum devastavit) et si attendimus ad similes difficultates, quibus et alia territoria missionum tam acriter irritantur.

Ad scholas erigendas et ad aegrotos curandos animum nostrum potissimum dirigere debemus !

Quis in missionem mittetur ?

Ratione nemo in missionem mittetur nisi has pree se fert qualitates. Mitten-
tur scilicet tantum ii,

1. qui **studio et amore pro missione incensi libenter et sponte declarant se velle in missionem profici**sci ;
2. qui **bona valetudine gaudent (caelum subtropicum)** ;
3. qui **sui iudicii sunt et animi constanta praediti.**

In Shanghai Rev.mum Internuntium Apostolicum salutavi et de pluribus

quaestionibus, quae pertinent ad missio-
nem Sinensem, cum eo collocutus sum.

Tunc navim velivolum conscendi et
profectus sum in Status Unitos Americae
(USA) ad continuandam visitationem
canonicam Societatis. Libentissime in
Sina permansisem, etiam ad semper !
Dimidium animae in Sina re-
liqui !

VARIA

1. **Constitutiones revisae S. C. de Religiosis traditae sunt. Ipse Rev.mus P. Larrona, homo scientia juris Religiosorum excellens, has nostras Constitutiones revisas examinare et dijudicare promptus est.**
2. Spero labores pro novo «**Manuale Pietatis**» edendo adhuc hoc anno finiri posse. Si quis forse desiderat speciales quasdam preces vel alia huiusmodi huic Manuali adhuc inseri, statim Romam ad Curiam Generalitatem scribat.
3. **Novus Catalogus omnium sodalium SDS** jam elaboratur. Hunc sc. catalogum quod attinet, haec dicere velim.
Omnnes Patres et Fratres coadjutores novo catalogo edito illi **provinciae incardinati censentur**, in qua officium aliquod actu sectantur, nisi forte adversam voluntatem manifestaverint. Itaque omnes reclamationes, quae huc spectant, si quae forte eveniant, per Superiores maiores ad Generalatum dirigantur.
4. **Praelectiones in Pontificia Universitate Gregoriana pro novo anno scholastico 1948/1949 initium habebunt die 15. octobris 1948.**
Omnes igitur Superiores maiores enixe rogantur, ut Rev. Patrem Rectorem scholasticatus nostri internationalis Romani, Adm. R. P. Donatum Blondé, **quam primum** certiorem reddere faveant, quot Fratres pro hoc novo anno scholastico Romam mittere intendant, ut dispositiones necessariae tempestive fieri possint.
5. Rev.mus P. Generalis die 8. maii 1948 Roma profectus Genuam petit et pyroscapha vectus in Brasiliam se contulit ad continuandam visitationem canonicam Societatis.
Haec dum scribo, nuntius aerius advenit eum die 25. maii 1948 Rivum Januarium feliciter pervenisse et a confratribus summa laetitia esse exceptum.

Confratres, qui hoc anno 1948 jubilaeum celebrant

Dies anniversarii professionis religiosae	V. Fr. coadj. Ludgerus Frielingsdorf
1888—1948	1. 11. 1948
R. P. Paulus Maria Pabst	V. Fr. coadj. Julianus Eder 25. 12. 1948
	V. Fr. coadj. Modestus Dieckmann 25. 12. 1948
1898—1948	
R. P. Wilfridus Kalinsky	4. 10. 1948
R. P. Augustinus Borchert	4. 10. 1948
R. P. Joannes Baptista Berg	4. 10. 1948
R. P. Cl. Hofbauer Sonntag	13. 11. 1948
1923—1948	
V. Fr. coadj. Bertrandus Blomenkamp	
	19. 3. 1948
R. P. Wunibaldus Dröge	16. 5. 1948
R. P. Willigis Höfler	16. 5. 1948
R. P. Theodos. Hildebrand	16. 5. 1948
R. P. Clemens Seliger	1. 11. 1948
Dies anniversarii ordinationis sacerdotalis	
1898—1948	
R. P. Antoninus Michalik	4. 6. 1948
R. P. Magnus Wambacher	4. 6. 1948
R. P. Zeno Benz	4. 6. 1948
1923—1948	
R. P. Xaverius Falkenbach	17. 3. 1948
R. P. Colomanus Bühler	29. 6. 1948
R. P. Rainer Gutsfeld	29. 6. 1948
R. P. Ferdinandus Schauff	13. 7. 1948
R. P. Willibrord Menke	18. 10. 1948
R. P. Henricus Serg	22. 12. 1948

NECROLOGIUM

1. R. P. Trudpertus Blank die 10. XII. 1947 in collegio nostro Gartlberg (Bavaria) post brevem, sed gravissimum morbum, doloribus patientissime oleratis et sacramentis Ecclesiae rite suscepitis, pie in Domino obdormivit.

Natus die 9. VIII. 1876 Eickfrier prope Baldenburg (Westpreußen) ingressus est Societatem die 6. januarii 1899 totamque vitam suam Salvatori Mundi dedicavit. Sacerdos ordinatus Romae die 1. maii 1899 per plures annos in collegio iostro Lochauensi aspirantes docebat omnibusque in domo et extra domum nodestia sua et magna pietate praeluxit. Post primum magnum bellum translatus in collegium Gartlberg ibi ut custos sanctuarii BMV de innumerabilibus hominibus diversi generis et conditionis bene meritus sibi praemium vitae aeternae comparavit.

2. V. Fr. coadj. Benedictus (Georgius) Schreib die 22. februarii 1948 Passaviae pie mortuus est post longum et gravissimum morbum.

Natus Neudorf prope Grafenau (Bavaria) die 1. martii 1888, ingressus in Societatem die 7. novembris 1909, vota perpetua emisit die 2. junii 1911. Per multos annos collegiis Hambergensi et Klosterbergensi magno erat emolumento. Colligendo enim stipem collegia illa sustentabat in difficillimis et periculosis conditionibus multosque juvenes pauperes, qui ad sacerdotium aspirabant, juvare potuit.

3. V. Fr. coadj. Protasius (Joannes) Rock in Russia mortuus est die 28. septembris 1945. Qui nuntius allatus est Superiori collegii Wurzacensis a quodam milite, qui cum ipso convivebat in captivitate et feliciter nunc in patriam rediit.

Hic nuntius nobis advenit mense martio ; usque nunc Fr. Protasius inter amissos recensitus erat.

4. R. P. Emmeranus (Otto) Weidinger. Natus die 17. maii 1887 Osten in Bavaria ingressus est in Societatem in collegio Nazianzeno die 8. septembris 1914, vota perpetua emisit in collegio Nazianzeno die 8. septembris 1918, sacerdos ordinatus item in collegio Nazianzeno die 28. augusti 1921. Provinciae Americanae septentrionali semper adscriptus erat, ubi etiam pie in Domino obdormivit. Nuntii ulteriores desiderantur.

5. V. Fr. coadj. Prosper (Jacobus) Hersche ipso die sacerdotali 3. januarii 1948 optime praeparatus cum vita religiosa exemplari tum Ecclesiae sacramentis Drogrens pie mortuus est.

Natus die 1. augusti 1911 Appenzell, dioecesis Sangallensis (Helvetia) ingressus est in Societatem (Lochau) die 11. martii 1929.

Vota perpetua emisit die 1. novembris 1936 in collegio Drogrens, cui per annos quattuordecim uti hortulanus multa et pretiosa praestitit servitia.

6. R. P. Bartholomaeus (Johann) Königsöhr. Viennae in Austria die 24. martii 1948 post longum et dolorosissimum morbum piissime obdormivit in Domino anno 61^o ab emissâ professione, 54^o a suscepto ordine. Quamquam per totam vitam infirma usus valetudine ad aetatem tamen 77 annorum pervenit.

Natus erat die 6. maii 1871 Oberursel prope Francofurtum ad Moenum, ingressus in Societatem die 12. decembris 1885 in collegio Romano, vota perpetua emisit Romae die 1. novembris 1887, ubi etiam promotus est ad sacerdotium die 28. octobris 1894.

R. P. Bartholomaeus qua erat et benignitate et prudentia necnon experientia dignus habitus est, qui diversis muneribus et officiis fungeretur cum in provincia Austriaca, cuius primus Superior Provincialis erat, tum in provincia Germanica.

Adm. R. P. Rolandus Macho, Superior Provincialis provinciae Austriacae in oratione sua funebri magna eius merita digne praedicavit.

7. R. P. Facundus Peterek Merani apoplexi correptus die 8. maii 1948 vita decessit in festo BMV Reginae Apostolorum, quo die tribus annis ante R. mus P. Pancratius mortuus erat. In festo Ascensionis Domini, igitur duos dies antea sacrificium missae ultimo celebravit.

R. P. Facundus Peterek de nostra Societate optime meritus est.

Natus Hultschin (Cecoslovacchia) die 23. aprilis 1880 ingressus est in Societatem die 20. aprilis 1894 et Romae sacerdos ordinatus est die 28. octobris 1902.

Per 46 annos strenue operabatur in vinea Domini in Cecoslovacchia, in Austria et in Italia. Tempore belli ab anno 1914—1918 munere capellani militum fungebatur ; post bellum magnum secundum Superior electus Sanctuarium Nar-niense BMV restauravit et domum amplificavit.

Anno 1933 in sexto Capitulo Generali primus Consultor Generalis electus post mortem Rev.mi P. Pancratii qua Vicarius Generalis Societatem magna industria administravit.

Omnibus his confratribus pie in Domino defunctis DEUS OMNIPOTENS MAXIMUS abundantiter retribuat, quidquid boni pro eius gloria et regno in terra fecerint !